

S. e. 217

* 88

Theologie

E. VII 449

DE S. PAVLO

APOSTOLO ET DOCTORE GENTIVM,

NARRATIO HISTORICA, QUI
ad Christi fidem conuersus est ante annos
M. D. XXXII. Anno mundi 3996. à sa-
lutifero partu XXXIIII. die 25. Ianuarij,
anno ultimo 202 Olympiadis, Martyrij uerò
coronam ante annos 1495. anno 70.

post Christum natum die Iunij

XXIX. accepit,

collecta

Per

IOHANNEM GARCÆ.

VM IUNIOREM, PASTOREM

Ecclesie DEI in noua arce

Brennonis.

ADDITA EST PRAEFATIVVS

CVLA DE POLYCARPO

sanctissimo Martyre.

ANNO MESSIAE.

M. D. LXVI.

DE S. PAVLO

APOTOLLO ET

DOCTORE GENTIVM

NARRATIO HISTORICA QVI

et Christi fidem conuertit et ante annos

et d. XXXII. anno mundi 3907 & 39

lustratum d. XXXIIII. die 27. Januarij

anno abbas de Olympide Martij in heru

corum ante annos 1492. anno 20.

Ioh. Christum natum die Iulij

XXXIX. accepit

colleca

Per

JOHANNEM GARCIA

AMINORUM PASTOREM

Ecclie DEI in hunc arte

Byennoriz.

ADPITA EST PRAEFATIO

CVIA IN POLYCARO

Sanctissimo Martire

ANNO MESSIAE

M. D. LXVI



CLARISSIMIS,
PRUDENTISSI-
MIS ET ORNATISSIMIS VI-
RIS, PIETATE, DOCTRINA, O-
mniūq; uirtutum genere præstantissimis, Do-
mino FRANCISCO VVEISSENDOR-
PHIO, Consuli, & Domino IOHANNI
VVEISSENDORPHIO, fratribus in ins-
clyta Republica Lunæburgensium, patronis
suis reuerenter colendis, felix noui anni
auspiciū precatur IOHAN-
NES GARCAEVS IV-
NIOR.



IES QVAE SE QVITVR
hoc mense Ianuario festum
Conuersionis S. Pauli Apo-
stoli, in primitiua Ecclesia,
graui quidem consilio, Poly-
carpo Martyri dicata est. Fuit autē hic Poly-
carpus, Eusebio teste, lib. 4. His: Eccl. cap.
15. Episcopus Smyrnæorū, & centesimo se-
ptuagesimo anno, post Christi natalem, im-
perantibus Marco & Vero fratribus, Mar-
tyrij coronam accepit uir sanctissimus, an-
no sexagesimo post Iohannis Apostoli
mortem, cum quidem diceret, se octuagin-
ta sex annos Deo seruire. Audiuit igitur Io-
han.

PRÆFATIO.

hannem Euangelistam anno decimo sexto ætatis suæ, aut circiter, cum Iohanne Ignatio, qui postea præfuit Ecclesiæ Antiochenæ, & adfirmat se Christum uidisse post resurrectionem. Habuit etiam aliam Collegam Papiam, qui in Hierapoli Ecclesiam rexit, & in præfatione scriptorum adfirmat se mandare literis ea, quæ ab Apostolis uiua uoce acceperit.

Doctrina Polycarpi quæ fuerit, ex Irenæo constat, Nec alia fuit Iohannis, nec alia in nostris Ecclesijs sonat, & pulchrū est quod addit Irenæus, Polycarpum solitum multa narrare Iohannis dicta & facta, multa item quæ Christus commemorauerat de Christi dictis & factis. Vnde quàm dulcis horum uirorum consuetudo fuerit, colligi potest.

Quantos labores, quæ certamina, & pericula annis septuaginta uel octuaginta in gubernatione sustinuerit, intelligunt illi non difficulter, qui uel minimam partem oneris Ecclesiastici ferunt. Incidit in grauissimas Ecclesiæ persecutiones, & horribiles Diaboli furores. Vidit præceptoris sui exilium & calamitates. Cum enim sub Domitiano multi interficerentur, Iohannes in quantam solitudinem & scopulos insulæ

PRAEFATIO.

fulæ Pathmi deportatus est. Vidit collegam Ignatium sub Traiano bestiis obiectum dilacerari, qui cum condemnatus esset, ad bestias dixisse legitur, ut narrat Irenæus: Frumentum ego sum DEI, Bestiarum dentibus molor & subigor, ut panis mundus efficiar Christo. Tales ærumnæ Doctorum & commilitonum, quantum dolorem attulerunt Polycarpo? Quoties deplorauit orbitatem & suam & Ecclesiæ talibus uiris amissis?

Quin etiam acerrima ipsum certamina exceperunt cum Hæreticis, cum iam Ecclesiam Smyrnæam regeret. Incidit enim in Marcionis Stoica deliria, quæ tunc latè grassabantur non solum in Asia, sed etiam Romæ & Ecclesijs Occidentalibus, & spargebatur magnum chaos fanaticarum opinionum, ex quo fonte postea Manichæi orti sunt & aliæ superstitiones. Hunc ueniens Romam Polycarpus, ut grassanti malo mederetur, refutauit, & scripturæ testimonijs, & autoritate allegata Iohannis, cuius sententiam sibi probè notam esse adfirmabat. Marcionem deinde magna pars sectatorum deseruit, oratione & autoritate talis uiri ad saniores mentes & sententiam reuocata est.

PRAEFATIO.

Memorabile est & illud, quod additur in historia, Marcionem aliquando in amicitiam Polycarpi se insinuare uoluisse, & benigne salutando interrogasse, num agnoscis me? Senem uero respondisse iratum huic impostori & simulatori: Agnosco te primogenitum Diaboli, qua uoce heroica declarauit, quo animo erga eos esse debeamus, qui corruptelas piæ doctrinæ struant. Ac nota sunt somnia & deliramenta Marcionis, quæ ex Stoicis disputationibus exorta sunt. Constituit duo principia pariter æterna inter se pugnantia, uidelicet duos Deos, quorum alterum dixit esse causam peccati, alterum uero bonum, ac constituit Stoicam necessitatem in bonis & malis actionibus, prohibuit simul coniugium, & tamen ipse Diaconi in Cypro coniugem abduxit, quæ postea ad maritum reuersa, magnam istius sectæ turpitudinem narrauit. Talia certamina cum fuerint in illa aurea ætate, mox post Apostolos, non miremur hodie Ecclesiam multorum furoribus oppugnari, & contristari Spiritum sanctum, studio prodigiosarum opinionum & contemptu ueritatis.

Quantum etiam ipsius studium fuerit, in retinenda forma sanorum uerborum, ne gloria

PRAEFATIO.

gloria DEI læderetur, & conscientiarum auditorum fauciarentur, ipse, ut Irenæus inquit, aures obstruere solitus est, si quando impias hæreticorum uoces audiuit, dicens, Deus bone, in quæ tempora me reseruasti, ut hæc audiam? loca etiam uitare quasi polluta, in quibus blasphemias euomuerant, nobis etiam exemplum & uiuum quasi speculum proponens, quale nostrum studium esse debeat, in retinenda agnitione uera Dei, ornanda ipsius gloria, propagatione ueritatis, & refutatione errorum. Scripta quibus iuuit Ecclesiam, non extant hodie, quod est dolendum.

De morte hæc certa sunt, quod iam fere agens nonagesimum annum, cum Ecclesias rexisset diu magno labore & periculo: tandem ad Martyrium abreptus sit. Voluit enim hunc quoque præstantem Ducem, uelut in statione occumbentem, edere & relinquere posteritati testimonium doctrinæ, quod uitæ anteferat Euangelium diuinitus traditum, simulque testari, aliam restare uitam & quidem immortalem, in qua sceleratos & pollutos omni turpitudine nunc sæuientes in sanctos, iudicaturus sit impijs uero penas æternas infligens, & san-

PRAEFATIO.

etis Martyribus æterna præmia redditurus sit.

Raptus autem ad supplicium impositus est rogo ardentis, ut corpus ustulatum igni torreretur, & longo cruciati consumeretur. Hic cum stat inter flammam, nec minis nec blanditijs flectitur, incipit precationem ardentissimam, quæ in historia consideranda est, ut hinc cogitemus, quomodo ueteres & direxerint orationem ad Deum, & in ipsa morte confessionem declarauerint. Forma precationis hæc est:

DEVS Pater dilecti Filij tui Iesu Christi, per quem tui agnitionem accepimus, conditor Angelorum, & uirtutum et uniuersæ Creaturæ & totius Iustorum generis, qui omnes coram te uiuunt, te iuuoco, te confiteor esse uerum Deum, te glorifico per Pontificem dilectum Filium tuum, cum spiritu sancto. Gratias tibi ago, qui me
in

PRAEFATIO.

in hanc diem atq; horam perducere dignatus es, ut participes existerem Martyrum, & calicis Christi tui, in resurrectionem uitae aeternae, animae & spiritus mei, per incorruptionem Spiritus sancti, in quibus suscipiar in conspectu tuo hodie tanquam sacrificium pingue & acceptabile, sicut praeparasti, & presignasti ita et fecisti. Verus es tu & sine mendacio Deus. Propterea & in omnibus laudo te, & benedico te, & glorifico te, per Iesum Christum dilectum filium tuum, per quem & cum quo tibi cum Spiritu sancto gloria & nunc & in futura secula, suscipe me, & fac me socium resurrectionis sanctorum tuorum.
AMEN.

A 5

Hæc

PRAEFATIO.

Hæc dum clara uoce clamitat, interim se flamma pandit & cedit corpori. Stas Senex integer, alacris, non sentiens flammam, & pepercit ipsi incendium, sicut olim in Chaldaea fornace ardente seruati sunt tres Principes. Conspicitur fulgens candida luce & exauditur, celebrans hunc Deum Patrem IESV CHRISTI, conditorem omnium rerum. Hoc tanto miraculo Magistratus & carnifices obstupescunt, uidentes Senem diuinitus seruatum, uiuere inter flammam. Sed re illa inusitata non mouetur Tyrannus, qui ut expleret suas cupiditates, sitiens sanguinem piorum Doctorum, tandem iubet eum gladio transfodi. Ita post auditam in rogo confessionem publicam & ueram inuocationem, minus sæua nece extinctus est, hic optimus senex ante annos 1596. anno Christi 170.

Hanc historiam de Polycarpo hoc anni tempore pijs proponi mentibus uoluit Ecclesia primitiua, ut læti Deum celebremus, qui hunc auditorem Iohannis, testem ueræ doctrinæ, quam Ecclesiæ nostræ profitentur, esse uoluit, & consolationis exemplum. Hinc sumamus, quomodo inter extrema pericula & flammam, rubo ardente Mosis, id est, perpetuo florente, Ecclesia
Omnia

PRAEFATIO.

Omniſibus ſeculis ſeruetur, per **Chriſtum**
Emmanuel.

Sunt autem grauiſſimæ rationes, cur ſanctorum hiſtorias maximè memorabiles conſiderari & retineri, ac auditoribus inculcare utile ſit. Eſt enim in hiſ Panegyricis congreſſibus, abiecta impia & ſacrilega contumelioſa inuocatione Sanctorum, à qua totis pectoribus abhorremus, accuratè expendendum, quomodo continua ſerie Docentium, Eccleſia ſeruetur & propage- tur, de qua ſuauiſſimè Salomon Rex canit, in Canticis cap. 6. Pulchra es amica mea ut Thirza, & decora ſicut Ieruſalem, terribilis ut caſtrorum acies ordinata. Sicut enim Princeps et Dux belli inſtruit aciem ad præliandum, ut hoſti ſit formidabilis: Ita Rex noſter Dominus noſter Ieſus Chriſtus, exercitum ducit uictorem Diaboli, & perpetuò dimicantem aduerſus portas inferorum, qui omnibus hoſtibus incutit formidinem, qui huic Triumphatori ſeſe opponunt, & curſum eius præcludere aut impedire conantur.

Quid quaſo aliud eſt ſeries continua ſanctorum hominum, quam acies non interrupta, in qua aliquibus, in quacunq; parte occumbant, proximus quiſq; ſuccedit, &
uicem.

PRAEFATIO.

uicem eius obit qui cecidit? Annón pulcherrima acies est Ecclesiæ, in qua Patres, Prophetæ, Apostoli & Doctores, contra Satanæ phalanges, dimicant, & subinde quasi nouo delectu habito, ad communem militiam pro aris & focis, & defensionem patriæ uocantur, & instruuntur, quam aciem ita seruat Emmanuel, ut nunquam opprimi aut deleri possit.

Sunt etiam cogitanda testimonia doctrinæ. His enim ministris & militibus ad certamina magna uocatis miranda tribuit testimonia, quibus testatur, uelle se talium uirorum uoci & doctrinæ credi, eosq; perinde audiri, ac si ipsum Deum de cælo nos alloquentem audiremus, ac miraculosè seruat & gubernat, in maximis periculis, aut ærumnis ipsos Doctores, ut ostendat, uocem sonantem in his piorum cœtibus sibi placere, & sese per hanc certò præsentem & efficacem esse.

Addenda sunt uota & gemitus, quibus DEO agenda sunt gratiæ, quod clementer se patefecit, & semper æternum aliquem cœtum in genere humano colligit, habiturum cum ipso, in tota æternitate sapientiam, iusticiam, pacem, læticiam & uitam æternam

PRAEFATIO.

ternam, sine peccato, morte & sine ullis doloribus.

Quin & liberationum siue praesentiae DEI in sanctis, liberantis & saluantis eos, supra creaturarum omnium sapientiam & vires, cum omnium secundarum causarum auxilio destituti esse uidentur, exempla considerari necesse est, ut constantia in professione doctrinae uerae, & alacritas fidei & inuocationis, in ærumnis & aduersitatibus omnibus, in nobis confirmetur.

Possunt etiam in exemplis conspici illustrium personarum poenitentiae imagines, quod uerè iuxta promissiones Euangelicas remissione peccatorum donentur, qui seriò ad DEVM conuertuntur, ut scriptum est: *Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat.*

Rectè simul considerantur exercitia, quibus ad pietatem sese Sancti assuefecerunt, ut hæc sine superstitione pro uocatione imitemur. Talis enim fuit uita Sanctorum, ut in omnibus actionibus pietas ipsorum emineat, obedientia erga Deum sese cultibus necessarijs exerat, omniaq; officia ad uoluntatem DEI dirigantur. Quàm
multa

PRAEFATIO.

multa sunt certamina Sanctorum, quibus gloriam DEI ornare, & confessionem ueritatis retinere & in gubernatione, Ecclesiae consulere conati sunt, in quibus nulla non pericula, ærumnas & miserias sustinuerunt, & nonnullis exercitijs in mortificatione ueteris Adami sese ad crucifigendam carnem assuefecerunt?

Postremo de uitæ exitu cogitandum est, quomodo in statione fortiter dimicantes, uelut ueterani milites, ad finem uitæ singuli perseuerauerint sancti, & quo tandem uitæ exitu suam erga Deum fidem & fiduciam testati sint, donati uitæ corona nunquam marcescente.

Hæ & similes rationes magni momenti nunc quoque ad festiuitatem & inaugurationem S. Apostoli, magna cum læticia, celebrandam inuitare nos debent, qui ante annos 1530. uocatus est & ordinatus ad munus Apostolicum, ex maximo Tyranno, & persecutore Christi blasphemo, primus gentium Iaphiticarum doctor factus, ad tabernaculum Sem adduxit nos, & annis fere sex & triginta Euangelium passim in bona Asiae atque Europæ parte circumtulit, semen preciosum cum lacrymis spargens, &
adhuc

PRAEFATIO.

adhuc hodie monumentis sanctissimis & utilissimis Ecclesiam erudit. De hoc tanto organo, prudentissimi & clarissimi uiri Mæcenates colendi, collegi narrationem ex probatissimis Scriptoribus, profuturam nostro auditorio Theologico, & cum sciam V. P. Pauli lectione delectari, & nihil magis habere in uotis, quàm ut in Ecclesia & scholis uox incorrupta huius Apostoli perpetuò sonet & propagetur, oro ut hoc scriptum historicū, munusculi loco pro felici ausdicio huius noui anni, hilari fronte accipiant, & de laboribus nostris scholasticis, candide, piac̃ uoluntate & mente gratitudinis studiosa candidè iudicent. Bene V. P. ualeant: & nostrum ordinem propter gloriam nominis diuini, & salutem Ecclesiæ, benignè fouere & ornare pergant. Ex noua arce

Brennonis, ipso die S. Polycarpi,



DE

DE SANCTO
PAVLO APOSTO-
LO, ET DOCTORE
gentium, historica narratio, re-
citata in die Conuersionis S.
Pauli, cui dicata est in Ec-
clesia 8. Calendarum
Februarij.



Multa extant in hi-
storijis memorabilia exem-
pla sanctissimorum homi-
num, qui ex densissimis Eth-
nicorum tenebris, & collu-
vie hereticorum, ad ueram
cognitionem Iesu Christi pertracti sunt, qui
uerè est unicus Sol iusticie, illuminans omnem
hominem uenientem in hunc mundum. Non
enim aliud unice quærit Filius DEI, conserua-
tione Religionis nostræ omnium antiquissimæ
& propagatione ueritatis, quam ut omnes ho-
mines ad sinceram agnitionem DEI salutarè
conuersione pertrahantur, & illustria simul
intueantur paradigmata & insignes hypotia-
poses præcipuorum Luminum in Ecclesia, qui-
bus

DE S. PAVLO APOSTO.

bus quamplurimi inuitentur & excitentur, ut
maturè pœnitentiam agant, & tempore gra-
tiæ ac uisitationis rectè utantur.

Etsi uerò occasio & medium, quibus hic
utitur, siue ipsæ uocationes, non conueniunt,
alij alio modo illuminantur & conuertuntur:
tamen pœnitentiam omnium communem esse
oportet, & omnibus eadem salutis uia propo-
sita est, mandatum omnes obligat, ut in hac uis-
ta errores suos agnoscant, deplorent, ad Filium
um fide confugiant, & donati peccatorum rem-
issione, fructibus fidei, gratitudinem debitam,
in nouitate uitæ ambulantes, declarent, sicut
scriptum est: Conuertimini, si peccata uestra
fuerint, ut coccinum, & ut uermiculus, eritis
candidi, sicut nix. Item: Viuo ego, dicit Do-
minus, nolo mortem peccatoris, sed ut conuer-
tatur & uiuat.

Talia exempla nobis in Ecclesia proponi utile
est, ut excussa securitate & Epicureismo huius
seculi, deliræ senectæ mundi, in tantis patriæ ca-
lamitatibus & publicis miserijs, uerè ad Deum
conuertamur, dolore afficiamur propter nostra
peccata, iram DE I agnoscamus, simulq; con-
fugiamus ad Filium DE I, petamus remissio-
nem peccatorum & mitigationem malorum,
quæ nos undiq; publicè & priuatim cingunt &

B

satis

DE S. PAVLO

Satis duriter premunt. Ac ne de exemplis nunc dicam, quæ in sacra historia commemorantur, uenit mihi in mentem, quod de Mutione Aegyptio scriptum legimus. Is natura ferox fuit & latrocinij deditus, sanctorum etiam delubra expoliando prophanasse dicitur. Vidit tandem in quiete uirum forma, habituq; augustiore, quam humano, comminantem sibi necem, nisi protinus à flagitijs sacrilegijsq; se submoueret. Cumq; pauore perculsus, repente euigilasset, nihil moratus, ad Ecclesiam confugit, & baptismatis lauacro, ueniam delictorum impetrauit, hinc sanctitate excellens miraculis quoq; diuinitus confirmatus est in fide. Precibus enim suis non minus quam Iosue & Ezechias, cursum Solis inhibuit, mortuos in uitam reuocauit, & Nilum siccis pedibus transijt, ut in uitis Patrum commemoratur.

De S. Augustino scitis, eum longo tempore ætatis errore Manichæa hæresi pollutum fuisse, quæ magnam uitæ puritatem simulabat abstinebat à carnibus, improbabat coniugia, damnabat imperia, & prædicabat se habere adflatus diuinos & Enthusiasmos. Huius sectæ admiratione & studio prodigiosarum opinionum cum inuitaretur, Manichæis sese adiunxit, qui sceleratè fingebant, autorem suæ sectæ
Mania

APOSTOLO.

Manichæum fuisse illum ipsum Paracletum, quem Christus promisit. Tandem expers omnis ambiguitatis, depræhensa etiam uanitate sectæ in materijs Philosophicis, cum sine Arithmetica motus & congressus siderum traderent, pugnantibus cum ueris obseruationibus, completo nouennio, quod fuit Climactericum, eluctatus est, & suscepta fide Christiana sententiam Euangelij amplexus, horribiles illos furores abiicit, quam emendationem Filij assiduis lacrymis mater à DEO petiuerat, hinc eandem sectam nemo postea fortius impugnavit, nemo acrius est persecutus, et pulchrum est, quod ipse scribit Manichæos dictos ab insania, quondam nomen illud immutasse, & autorem suæ sectæ dixisse Mannichæum, id est, manna fundentem, ut insaniæ nomen uitaretur.

Inter hæc & similia exempla, quæ unquam memoriæ prodita sunt, præcipuum locum tenet historia S. Pauli cuius memoriam hoc anni tempore celebrat Ecclesia gratias agens DEO toto pectore, quod hunc præstantissimum Herodem Beniamiticum, Ducem & Governatorem Ecclesiæ, ex gentibus imprimis collectæ, tribuit, ac nos sub finem mundi huius socios esse uoluit, quæ uocem Pauli sonat, & incorruptam profitetur, pijs simul uotis à DEO petens.

DE S. PAVLO

tens, ut hos cœtus tueatur & seruet, qui hunc Doctorem audiunt & magnificiunt. Cùm uero utile sit aliquid moneri de hoc singulari organo misericordiæ diuinæ, repetam ex optimis scriptoribus scholasticorũ causa, quæ in hac historia maximè digna sunt consideratione, qua possum breuitate, & ut dicentis linguam hic gubernet Spiritus sanctus, coniunctis precibus uos omnes mecum petere decet.

PATRIA

Primum de PATRIA teneant adulescentes, Paulum Apostolum uel natum in oppido Phœnices, cui nomen Gischala uersus ortum & aquilonem Hierosolymis, distante plus minus nonaginta milibus passuum: uel inde oriundum, & ex eo migrasse maiores parentes uel eius Tarsum, quam urbem in Cilicia à Tarso secundo filio Iauan illius nominis conditam esse affirmatur. Ac postea aliqui restauratam fuisse tradidere à Sardanapalo Rege die uno, unde antiquitas urbis æstimari potest. Vixit enim Sardanapalus anno mundi 3127.

Fuit autem Tarsus omnium urbium Ciliciæ metropolis & clarissima ciuitas, cuius incolæ Romano Imperio etiamnum incolumi Marcus Antonius si propter dignitatem & uetustatem ciuitate Romana donatos, libertate, priuilegijs

Triumuir
collega
Augusti.

APOSTOLO.

uilegijs & honoribus frui uoluit. Romanum enim Imperium, adhuc tempore Augusti, gradus pulcherrimos habuit, qui postea mutati sunt. Alij pessima conditione uectigales erant, non militabant, sed tantum pecuniam, neruum bellorum & gubernationis, subministrare cogebantur, quem morem hodie Turca retinet. Alij erant socij siue municipales, qui una ad militiam deligebantur, & pro defensione Reipublice dimicabant, & sine oneribus tributorum, uiuentes, dignitatum siue honorum non erant participes. Alij erant ciues, qui magnis dignitatibus ornati, Romae una capiebant honores, ius militiae habebant, nec exactionibus grauati erant. Haec libertas Romanae ciuitatis, alijs multis concessa, fuit maxima, quae tanta etiam fuit, ut de cuius capite, siue iudicio summæ potestatis, in causa dubia, siue legibus non expressa, ulli prouinciali statuere non liceret, sed causam ad iudicia centuriata, siue comitia consularia, referre oportebat. Nec quenquam interficere concessum erat, nisi in casu rebellionis. Vnde & S. Paulus ad Cæsarem prouocat iniuste accusatus, quam prouocationem sumpsit ex iure ciuitatis Romanae, nobis in exemplum, quod in casu necessitatis, beneficijs politicis uti non sit prohibitum.

B 3

Nomen.

DE S. PAVLO

Nomen Τάρσος ὅ partem pedis eminentiorem significat usque ad digitos pedis, quæ plantæ opposita est, Germani nominant der reier. Hinc Tarsum hanc Cilicum metropolim, quæ Græca lingua usa est, nomen accepisse fabulantur Poëtæ, cum Bellerophon ibi à Pegaso excussus ceciderit, & pedem fregerit, & perpetuò deinde claudicarit. Occasio huius casus nota esse debet ex fabulis, & multas res magnas narratio illa de Bellerophonte significat. Bella gessit uir castissimus (iniuste accusatus de stupro, sicut Ioseph) Lyciorum Dominus, in Cilicia ubi Chimeram domuit, quæ terribilis bellua Leonem prima parte corporis referebat, postrema Draconem, media confusam speciem ex multis.

Existimo autem Chimeram pingere seditionosam hominum multitudinem, quam repressit ipse, & uictor euasit, non tamen sine singulari DEI beneficio. Vicit enim donatus Pegaso equo alato (cuius simulachrum in cælo conspicuum est) & aureo freno à Pallade, id est, dato exercitu & fortitudine, quam Deus consilio rexit. Idem postea in rebus secundis factus insolens, cum Pegaso intra cælum ad Iouem uehi conaretur, excussus est, & afflictus humi, postea mærore periit. Ita cum homines sibi ipsis blandiuntur in rebus secundis, sicut quælibet
etas

APOSTOLO.

ætas multas habet Bellerophontes & cupiditas
tibus frena laxantur, immoderati impetus gra-
ues poenas attrahunt, multi alati frangunt dor-
sum & solo illiduntur, quæ tristia exempla fieri
permittit Deus, ut sapientiam humanam sine
DEO cœcam & periculosam esse, & uel opti-
mè cogitata dissimiles & non expectatos euen-
tus sortiri, testetur.

Ab hoc casu nomen ciuitati inditum es-
se sentiunt nonnulli, quæ olim colonia Argos-
lica, hodie est sedes gentis Henetæ. Longitudo
eius est siue distantia ab Occidente 67. G. 40.
Sc: pr: Latitudo 36. G. 50. Sc: pr: Tot enim
gradibus & scrupulis polus boreus eleuatur
ipsis supra Horizontem, & punctum uerticis
ab æquinoctiali recedit.

Qua occasione parentes Saulis ex Iudæa
in Ciliciam commigrarint, non est expressum.
Fortassis propter bella assidua, quibus à Ro-
manis uastata est patria terra & domesticas
seditiones, commodiorem & tranquillio-
rem sub Romana iurisdictione sibi quæsiuerunt se-
dem. Ac sepe aliàs in terras peregrinas abdu-
cti sunt Iudæi, non tam propter peccata popu-
li, quàm ut gentibus quoque innotesceret uera
doctrina de uenturo Semine promissionis, &
multi ad agnitionem ueri DEI pertraheren-
tur.

B 4 De has

DE S. PAVLO

De hac patria Pauli, quam ipse quoque celebrat Actorum 22. tradit Curtius, quod Cydnus eam annis è Tauro lapsus perfluat non admodum magnus, sed liquore memorabilis, cum leni tractu è fontibus labens puro solo excipiatur, nec torrentes incurrant, qui placidè manantis alueum turbent. Vnde incorruptus & frigidissimus, & ubiq; fontibus suis similis, in mare euadat. Strabo enim neruorum doloribus mederi tradidit lib. XIII. & Alexander Magnus cum fluminis amœnitate captus, in eo lauisset, grauiſſimo morbo correptus est, sicut & Fridericus Barbarossa pari lauandi studio delectatus, in Cilicia interijt.

Tarsi etiam suburbana Iulianum Apostatam condiderunt, cum in pugna contra Persas suscepta, lethali ex uulnere interijſſet Imperij sui anno tertio: Vitæ anno XXXI, cuius morte cognita Antiochenſes maximũ tripudium agentes, uehementiſſima acclamatione per totam urbem uſi ſunt: Maxime fatue, ubi ſunt tua uaticinia? Vicit Deus & Christus eius. Et pulchrum est, quod addit Historicus, Libanium Sophistam Iuliani Magistrum, qui tum uictoriam expectabat & deletionem Christiani nominis, casu obuiam ueniſſe cuidam Pædagogo Antiochiæ Christiano, & scommate obiecto interrogasse,

APOSTOLO.

rogasse, Quid putas nunc agere Fabri filium?
Respondit mox: O amens. Creator omnium,
quem tu Fabri appellas filium, locellum sepul-
turae Iuliano componit, significans breui inte-
riturum Tyrannum, qui Christum tantoperè
persequeretur. Nec uanum fuit responsum:
Mox enim de interitu Iuliani, fama tota urbe
percrebuit.

Nomina Patris & Matris eius mihi igno- PAREN-
ta sunt, cum in historijs non extent, Chrystos- TES.
mo teste. Id tamen certò constat, ex Actis 21.
& 22. cap. Rom. 12. 2. Corinth. 11. Philip. 3.
Patrem fuisse Iudæum, ciuem Romanum, Ebræ-
um, ex tribu Benjamin, Israëlitam, ex semine
Abrahæ. Vnde & ipse gloriatur, Ego homo
sum quidem Iudæus, à Tarso Ciliciæ non igno-
tæ ciuitatis municeps. Item: Si quis alius uide-
tur confidere in carne, ego magis: circumcisio
sus octauo die, ex genere Israël, de tribu Bena-
iamin, Ebræus ex Ebræis &c.

NOMEN Ebraicum Sauli acceptum NOMEN.
in circumcissione, quod expetitur munus signi-
ficat, quomodo mutatum sit, dicere non pos-
sum. Fortassis in gratiam Ethnicorum Græcum
sibi tribuit nomen.

Qualia ipsius studia fuerint in pueritia, STVDIA.
ex scriptis & eruditissimis & Patriæ cultura

B 5 pere

DE S. PAVLO

perspicuè colligitur. Affirmat Strabo, qui plus minus annis triginta ante Paulum floruit, tantum Tarsensibus studium fuisse circa Philosophiam ἢ τῶν ἄλλῃ ἐγκύκλιον ἀπασῶν σοφῶν, ut Athenas, Alexandriam & alias florentissimas Academias superarint, & indigenas cognitione optimarum rerum magna cum laude instruxerint. Hic igitur puerum, in patria, artes dicendi & Philosophiam didicisse, & ueterum Poëtarum monumenta euoluisse, Scripta eruditissima demonstrant.

Vnde & sententias in concionibus & epistolis citat ex Poëtis, ne quid dicam de neruosa ipsius oratione, quæ omnibus numeris constat. Primus uersus est Actorum 17. sumptus ex Arato, ἐν αὐτῷ ζῶμεν ἢ κινῶμεθα ἢ ἐσμεν. Per ipsum uiuimus, mouemur & sumus. Secundus est Menandri 1. Corinth. 15. φθέρουσιν ἄθῃ χρησὰ ὁμιλίᾳ κακῇ. Mores bonos corrumpunt colloquia mala. Tertius Epimenidis ad Titum 1. κρηῖτες ἀεὶ ψεύσαι, κακὰ θυρία, γασίρες ἀγυαί. Cres semper mendax, mala belua, uenter obesus. Hinc igitur colligi potest, Paulum multa, quæ à Græcis sunt dicta, didicisse, & in prima illa ætate multarum rerum cognitione animum instruxisse. Quomodo quæso uersum illum Epimenidis protulisset, nisi ipsi

APOSTOLO.

si ipsius Cretenſis oracula, qui ſacra & Cere-
monias ſuis præſcripſit, legiſſet. Quin & he-
miſtichium illud. Huius namq; ſumus genus, ſci-
re non potuiſſet, niſi ſtudioſus Mathematicum
Arati Aſtronomi phænomena, ſiue librum de
ſtellis apparentibus attigiſſet. Sed & illud ſtu-
dijs obeſt conuiſtus improbus bonis, ſatis indi-
cat, eum in Euripidis fabulis libenter uerſatum
fuiſſe.

Hæc ideo commemoro, ut pij gubernatores
res exemplum Tarſenſis Reipublicæ imitentur,
& ſtudioſi Religionis ueræ, & Philoſophiæ,
ſoucant cœtus docentium & diſcentium, iuuen-
tutem rectè erudiri curent, ac bonarum rerum
riuulos propagari curent, de quibus optimè
dixit Rex potentiſſimus Cræſus, quod ſint fon-
tes omnium bonarum rerum, quibus Eccleſia
& Reſpublicæ carere non poſſunt. Hora-
tamur etiam adoleſcentes, quibus diſcendi felix
citas hodie data eſt in Academijs & ſcholis re-
ctè conſtitutis, ut Paulum iuuenem intueantur,
qui in prima illa ætate Philoſophiam & artes
dicendi didicit, ſimulq; optimorum Poëtarum
monumenta euoluit. Memores ſint ſimul. hiſto-
riæ, quam Philoſtratus recitat, de Marco Im-
peratore. Huic Romæ obuiam uenit Lucius
quidam, & percontatus eſt illum, Quo iret,
& cuius rei gratia? Reſpondit Marcus: Ha-
neſtum.

DE S. PAVLO

*nestum est & seni discere: eo ad Sextum Philos
 sophum, ut discam, quæ nondum scio. Hic Lus
 cius sublatis in cœlum manibus: O Iupiter,
 inquit, Imperator iam senex tabellam ges
 stans puerorum more com meat in ludum, cum
 noster Rex Alexander triginta duos annos nas
 tus, uita defunctus sit. Fulgosus de Alfonso Ar
 ragonum Siciliae Rege scribit, quod nec septem
 Regnorum administratio, nec bella ingentia,
 quæ gessit, eum retinere potuerint, quo minus
 Rex iam quinquagenarius, qui tot populis im
 peritabat, literario præceptori se subijceret,
 ne Latine loquendi usu careret: & ne Hispani
 literarum expertes, Liuiana lectione fraudas
 rentur, ipse Liuium è Latina, in Castrilonens
 sem linguam, transtulit: Notum est & illud,
 quod Petrarcha refert, Robertum Hierosoly
 morum & Siciliae Regem optimum, fortissis
 mum & doctissimum, Solonis illud semper in
 ore habuisse ἡγεῖσθαι ἢ ἀεὶ πολλὰ δίδασ
 κόμεν. Tanto literarum amore teneba
 tur, ut si sibi alterutro carendum esset, regno
 quam literis se priuari malle assereret. Sed re
 uertor ad Paulum nostrum, cui proh dolor,
 pleriq; nunc sunt dissimiles, qui Musis conse
 crati sunt.*

*Artem etiam texendi tabernacula seu au
 lea, in prima illa ætate didicit, quam post con
 uersio*

APOSTOLO.

uersionem exercuit, Actorum 18. uictum sibi
querens, ne auaritiæ suspicionem, aut calum-
niæ occasionem, sub principium collectæ Eca-
clesiæ ex gentibus, præberet ullis, interdum
ex publico stipendio uixit, & docentibus ui-
ctum & necessaria ad hanc uitam subministran-
da esse docet, ne miles Iesu Christi secularibus
negocijs implicetur. Chrysostomus cum in facia-
endis tentorijs pelles consuisse dicit. Post-
quam uerò in Tarsensi celeberrima schola, pri-
ma fundamenta artium dicendi & Philosophiæ
percepisset, missus est à parentibus Ierosoly-
mam urbem celeberrimam, in qua sedes & tem-
plum DEI, & unica florentissima in toto ge-
nere humano, Theologica Academia erat, ut
ibi ex summis Doctoribus, paternæ Legis ue-
ritatem, cognosceret, & præcipuos uiros, di-
uinæ scripturæ interpretes, scribas & Phari-
seos audiret, & doctrinæ coelestis cognitionem
Philosophiæ studijs coniungeret.

Erat tunc Religionis status planè miser-
rimus. Tota enim Iudæa in ultima senectâ mul-
tis sectis et opinionum dissidijs dilacerata, præ-
cipuè Phariseorum Saducæorum & Essæorum
somnia profitebatur. Pharisei, qui se exposito-
res seu interpretes scriptorum Prophetarum
nominabant, totam Legis doctrinam &
pre

DE S. PAVLO

promissionem Euangelij de semine uenturo
in Politicam seu Philosophicam sapientiam
conuertentes, tantum externam disci-
plinam Lege DEI præcipi, & disciplina hos
mines peccatorum remissionem & iusticiam
consequi, coram DEO somniarunt, ipsumq;
Messiam, politicum fore Ducem opinati, uictis-
simam placaturam iram DEI negarunt. Ita
prorsus ueram sententiam Legis & Euangelij
ignorarunt, gentibus re ipsa similes. Quan-
tus fuit Saducæorum furor, qui negabant cor-
porum resurrectionem, & animas esse supersti-
tes extinctis corporibus, ut taceam alias prodigi-
osas opiniones: Esæi parum curantes Religio-
nem, tantum Philosophiæ & Medicinæ studijs
dediti erant. In hæc tristissima tempora cum
incidisset Paulus, statim patris & amicorum
consilio nactus Præceptorem, Gamalielē, uir-
rum, eruditione, pietate & autoritate excel-
lentem, audiuit Legem enarrantem, de quo ipse
testatur, se in patria lege ad pedes Gamalielis
educatum & institutum esse, qui tunc præcia-
puus Doctor erat, & conuersus esse legitur.

Vtinam parentes hodie mittentes liberos
in Academijs florentes de salute Ecclesiæ hoc
exemplo inflammati, magis solliciti essent, &
filios instructos donis ingenij, non tantum stu-
die

APOSTOLO.

dijs, quæ coram mundo unicè lucrosa esse uidentur, sed etiam in doctrina Ecclesiæ rectè erudi curarent, sine qua propagatio ueritatis ad posteritatem incorrupta, sperari non poterit. Ac laudandus est Paulus, qui optimum sibi deligit studiorum formatorem, à quo tandem testimonia doctrinæ accepit.

Cum uerò ab hoc Doctore, ingenio solerati & industria præditus ac pietatis amans, cognita Lege, paternis traditionibus, ritibus & Ceremonijs, non hypocrisi, sed maximo Zelo, & ardore amplexus est Legem, & præ alijs omnibus commilitonibus suis in Iudaismo & statutis maiorum, profecit plurimum, infectus simul Pharisæico fermento, statuit per Legis iusticiam, comparandam esse uitam æternam & iuxta normam externæ obedientiæ Decalogi, dirigens suas actiones, irreprehensibilis esse uoluit.

Eodem tempore, cum uersaretur in celebri Academia, quæ domicilium DEI & sedes diuinarum patefactionum erat, Filius DEI Emanuel noster munus docendi & regnum suum spirituale inchoauit, ac stupendis miraculis se uerum esse Messiam exhibitum Patribus confirmauit. Cum uerò Pharisei Christum natum ex semine Abrahæ secundum promissionem in
plenis

DE S. PAVLO

plenitudine temporis, uelut Samaritanum & obsessum à Diabolo hostem Legis, blasphemum & seditiosum, plus quam Cainico odio prosequerentur: Saul quoque, ut adolescens amans antiquitatis, causam minus probe considerans, Zelo patriæ legis flagrans, ipse quoque Christum abominatus est.

Hinc cum Pharisei post Christi ascensionem incenderent scholasticos & auditores aduersus Apostolos & Diaconos, tetrismendacis, quasi Ecclesiæ turbatores, schismatici simulque crimine rebellionis polluti essent, Saul adolescens cum alijs nonnullis commilitonibus à Synagogis congregantur, etiam inter ceteros cum Stephano Diacono, à quo uicti disputando, tandem in necem Stephani conspirant, ac cum lapidibus obruitur, Saul parricidarum uestimenta seruat.

Hæc res cum placeret Principibus incenditur Saul, ut deinceps quoque pro patria lege fortiter dimicet, nec dubitet, cum hostis sit uanæ & fictæ Religionis, se DEO singularem cultum præstiturum, si pestes generis humani, turbatores Ecclesiæ & patriæ quamprimum è medio tolleret. Statim igitur ei hæc potestas tribuitur, ut sit inquisitor hæreticæ prauitatis, doctrinam Christianorum extirpet, tanquam uanam & commenticiam de Christi resurrectione

APOSTOLO.

Surrectione, & non tantum disputando refuset Christi assecclas, sed & uiolentia utatur, caedat Christianos in Synagogis, ipsosq; uel Ierosolymam ad supplicium adducat, uel etiam in exteris nationibus pro sententia lata, occidat.

Saulus uero cum Christianis infensissimus esset, non recusat id officij, sed ultrò suscipit, ac mandato publico à Principibus Sacerdotum instructus, non Hierosolymis tantum, sed & in alijs ciuitatibus omnem seuitiam & crudelitatem exercere coepit. Sicut enim ante annos 4000. eodem in loco parricidiale caedem excitauit Diabolus, interfecto Abele. Unde Damascus saccus sanguinis dicitur: Ita nunc quoq; pater homicidij Abelis sanguine terram Damascenam conspergere uoluit. Tandem igitur cum hic legatus Diaboli Damascum Syriæ urbem insignem, quæ 40. Milliaribus Germanicis siue duodecim dierum itinere distabat à Ierusalem, minas & caedes contra Dominum spirans, proficisceretur, & consilia moliretur, de ijs omnibus extirpandis, qui nomen Christi profiterentur, & Antiochiæ primum illo tempore Christiani dicti erant, ex improviso conuersus est Saulus.

Modus autem siue occasio conuersionis MODVS talis est: Itinere ferè confecto, non longè à conuersione
C Damasco, onis.

DES. PAVLO

Damascus, subito in meridie, è cœlo, singulari splendore coruscationis, qui Solis fulgorem superabat, illustratur, cuius tanta erat uis, ut simul omnes socij itineris cum ipso in terram collaberentur. In illa consternatione, audit uocem Christi, obiurgatus propter seueritatem, uocatur ad pœnitentiam & agnitionem Christi. Huic miraculosæ uocationi ipse non repugnat, sed reuerenter obtemperat, & excœcatus fulgoris excellentia, cœcus & uerè cicuratus à comitibus Damascum, uelut Leo in spectaculo, introducitur. Quàm miraculosum & inauditum illud fuit spectaculum? Postea ad ipsum mandante Filio DEI uenit Ananias, qui eum denuò uocat, consolatur, ordinat, baptizat, & inuocatione facta in Doctorem gentium deligit, quòd munus Apostolicum, Euangelicæ legationis, statim cœpit Damasci, ubi commoratus aliquot diebus, fidei suæ confessionem ostendit. Ita ex hoste & persecutore Christi crudelissimo, factus est electum organum, seruus & Apostolus Iesu Christi.

Tempus
conuersi-
onis.

De tempore Conuersionis Pauli uariant scriptores. Pleriq; probatiores & antiquiores & recentiores referunt ad annum Christi XXXIII. 25. diem Ianuarij, cum anno præcedente 33. suæ ætatis, XXV. Martij passus & mor-

APOSTOLO.

Et mortuus esset Filius DEI. Conferunt etiam hoc tempus in annum Tiberij XIX. uel XX. Ita Paulus ætate iuuenis seu adolescens, factus est Christianus, sub initium anni alterius post Christi passionem, et raptus in tertium cœlum seu paradysum, per reuelationem Iesu Christi, doctrinam Euangelij didicit et propagare cœpit.

Loca quæ in speciem hic pugnare uidentur commodam conciliationem admittunt. Lucas inquit: Qui in comitatu ipsius erant, ij quasi attoniti astabant, uocem quidem audientes, sed neminem cernentes. Paulus uerò inquit: Comites mei, lucem quidem conspexere et fuere metu percussi, uocem autem non audierunt loquentis mecum. Prorsus hæc congruunt, si attentè considerentur. Nam uocem comites illi, in luce circumfusa, exanimati non audierunt ullius, neq; uiderunt quenquam, qui cum Paulo colloqueretur, cum scilicet ipsius uocem respondentis alteri, planè exaudirent.

Hæc historia Conuersionis Pauli multa vsus hinc monet, quæ suo loco copiosius attingenda storiæ de erunt. Sicut enim Ecclesia, tempore Apostolorum S. Pauli rum, quantumuis exigua, misera, ærumnosa, conuersa sine imperio, gloria et defensione externa, aduersione. uersantibus et seuiantibus summis in populo

C 2 DEI

DE S. PAVLO

DEI gubernatoribus, quorum minister fuit hic miles, diuinitus seruata est per Filium Dei Emmanuelem, sedens in medio Leonum dilecta ipsius animula: Ita nunc Ecclesia huius seculi, multis modis sauciata, ærumnosa & misera, sub alis Filij DEI floret & uiuit, sonat & profertur uocem incorruptam salutis, frementibus multis Tyrannis & hæreticis, qui in homines innocentes grassantur & animarum perniciem quærunt. Is enim qui uigilat & excubat, pro Ecclesiola sua Damascena dispersa & exule: Idem nunc quoq; inter pericula uel maxima uigil est & excubitorem agit nostrum, ne opprimantur pij.

Quin etiam experimentum hîc uidere licet dulcissimum, non solum præsentia DEI in Ecclesia, sed etiam regularum, quæ adfirmant, mirabiliter euersti à DEO impiorum consilia, quæ uel ui uel fraude Ecclesiam delere conantur, sicut scriptum est Prouerb. 21. Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum. Item Esaïæ 8. Inite consilium & dissipabitur, loquimini uerbum & non fiet. Quia nobiscum est Emmanuel.

Illustris etiam & dulcis exempli usus est in re maxima, uidelicet, promissione remissionis peccatorum gratuita & receptione omnium,

APOSTOLO.

um, quantumuis indignorum & miserorum peccatorum, de qua re ipse concionatur 1. Timoth. 1. exemplum se esse cæteris positum, quo testetur Deus, promissionem remissionis peccatorum, salutis & uitæ æternæ, gratuitam & uniuersalem esse, ac certò ratam fore omnibus fide eam accipientibus, quantiscunq; peccatorum sordibus polluti aut inquinati sint. Verba ipsius aureis literis cordi inseribantur: Certus, inquit, sermo est, & omni acceptione dignus, quod Christus Iesus in hunc mundum uenerit, saluos facere peccatores, quorum primus sum ego. Sed propterea adeptus sum misericordiam, ut in me primo ostenderet Iesus Christus omnem clementiam, ad exprimendum exemplar ijs, qui credituri essent in ipso, in uitam æternam.

Cùm igitur sensus peccatorum tuorum te affligit, exemplum Pauli tanquam ὑποτύπωσις σιπ credentium & saluandorum omnium tibi propositum esse statuas, ut certum habeas ἁπλοῦς ἰδοῖον dolorum, & tanquam ex archetypo, certò scias, peccatores seriò agentes poenitentiam recipi in gratiam gratis, fide, & quidem uniuersaliter immensa DEI misericordia, quæ uberior & potentior est, per sanguinem Iesu Christi, uniuerso peccati, mortis & inferorum regno, sicut alibi dicitur, gratia exuberat supra

C 3 pecca

DE S. PAVLO

peccata. Hic usus exempli dulcissimus & maximus est.

Docet & illud historia, quomodo fiat conuersio, etsi enim uocatur Paulus miraculo coelesti ad munus Apostolicum: tamen contra regulam nihil fit, qua singulos & omnes conuersi ad Deum, Prophetica & Apostolica scripta testantur, quam S. Paulus tradit: Fides ex auditu est, auditus per uerbum DEI. Alloquitur Christus de caelo frementem, & minas accedes spirantem Paulum, & hac uoce non tantum aures ferit, sed etiam, uelut malleo comminante petras, ut Propheta loquitur, cor eius perterrefacit, ut stupefactus & extra se raptus, se totum Domino offerat, & cum ipsa uoce Filius DEI in terram prosternit perterrefactum, ut agnoscens molem peccatorum, gratiam expectet, & ad obedientiam sese offerat. Postea consolationem consequitur, regeneratur & baptisatur, in qua conuersione multa didicit de uero intellectu Legis & Euangelij, quem antea uerè caecus, nunc ab oculis eius decidentibus squamis tenebrarum, non uisdit.

Eadem ratio conuersionis est omnium hominum per uocem Euangelij, qui uocanti DEO, iuxta uerbum obtemperant, hoc est, qui agnita peccatorum suorum mole, iram DEI
in uera

APOSTOLO.

in uerbo propositam non contemnunt, peccata sua uero dolore deplorant, & amplectentes promissionem Euangelij, auditam & cogitam, fide sese erigunt, & erecti in ueris doloribus, & sese sustentantes, propositum habent obediendi DEO, iuxta uerbum. Ad hanc normam omnes sese conforment, qui huius Apostolici ciues & socij esse desiderant.

Nec modus hic conuersionis astipulatur illis, qui hodie fingunt, hominem repugnans tem, seu hostiliter se habentem erga Deum conuerti. Et si uerò tota conuersio sit solius DEI opus, quam & inchoat & perficit in nobis, ut Paulus inquit Phil. 2. Deus est qui efficit, ut uelitis & perficiatis ὑμῶν ἐξ ἐυδ'οκίας, propter ipsius beneplacitum: atque nos omnes, uelut oues errantes & perditas, per uocem suam, instituto ministerio Spiritus, uocat, trahit & ad Filium redemptorem & propiciatorem nos deducit, estq; efficax simul per Spiritum sanctum, trahens & mouens uoluntatem: tamen cum DEVS trahit & mouet corda, non cogit aut rapit nos uiolento motu, sed ita trahit & mouet, ut liberum sit, uel assentiri uel repugnare, accipere uerbum, uel contemnere & abijcere, obedire uocanti & mouenti DEO, uel non obedire, sicut optimè dictum est: DEVS trahit,

DE S. PAVLO

hit, sed uolentes trahit: Item, Præcedente gratia, & comitante uoluntate.

Toto igitur pectore abhorrere nos decet, ab oratione illa contumeliosa in Deum, & plena blasphemie aduersus Filium DEI, hominẽ non solum ut truncum, sed repugnantem conuerti, qua non solum securitas & prophanitas, sed horribilia hominum scelera, & arcana dubitationis, diffidentie, desperationis etiam peccata confirmantur. Ac perpetuò tenenda sunt hæc fundamenta immota & indubitata: promissionem gratiæ & remissionis peccatorum uniuersalem esse, & mandatum uniuersale & summum, obligare omnes homines, ut promissioni omnes credant, ac iuxta immotum hunc ordinem, Deum efficacem esse uoce Euangelij, lecta, audita cogitata & accepta fide. Huic promissioni, mandato & ordini diuino, debet & potest homo obedire & quidem uolens, repugnare sine coactione, aut cum repugnat uerbo, dubitando, aut diffidendo, facit id uolens non coactus.

Sicut autem Paulus mittitur ad ministerium, & audito Anania & accepto baptismo, testatur se reuerenter DEO & ministerio obedire, ac socium ueræ Ecclesiæ uelle esse testatur: Ita nos ministerium amemus, huic credamus, &
ac si

APOSTOLO.

ac si ipsum DEVM coram nobiscum loquentem audiremus, uocem Legatorum & nunciorum consiliorum diuinorum ratam & ueracem esse, ac per illam & non aliter DEVM efficacem esse statuamus, quæramus etiam ueram Ecclesiam, eiusq; ciues nos esse toto pectore lætemur.

Hæc est conuersio S. Pauli & uocatio, quam diuinitus tantis miraculis & testibus, adhibitis, factum esse dubium non est, ut doctrinam eius, quam inter omnes gentes sparsit, diuinitus traditam esse credamus. Nunc de peregrinationibus & curriculo ipsius quo functus est Apostolico munere, pauca supremis uelut labris attingemus.

Post conuersionem, cum Iudaicæ impietatis assertor esse desijt, commoratus aliquot diebus Damasci, statim Christum in Synagoga prædicare cœpit, quod esset Filius DEI, Iudæos aduersarios refutauit. Cùm uerò confessionem suam publicè ostenderet, & hostes Euangelij ex Iudæis struerent ei insidias, demissus ex muro in calatho discessit in Arabiam, ubi quam diu fuerit, incertum est. Nonnulli ipsum triennio ibi docuisse existimant. Inde reuersus Damascum, & de uita ibi periclitatus, cum non tantum Iudæi, sed & præfectus Regis Aretæ, propter Religionis in

CVRRI-
CVLVM
S. PAV-
LI.

DE S. PAVLO

mutationem ipsi insidiarentur, uenit Ierosolys
mam ad Apostolos, Petrum & Iacobum Ius
stum fratrem Domini, Episcopum Hierosolys
mitanum, post annos tres, & apud Petrum
mansit quindecim dies. Hic congressus Petri et
Pauli, incidit in annum Christi 37. aut 38. in
ultimum annum Tiberij, aut Caligulae initia.
Alios Apostolos nisi Petrum & Iacobum fra
trem Domini non uidit.

Ierosolymis subsistens, magna fiducia & li
bertate Christum docuit. Sed cum multi Graeco
rum sapientiam affectarent, quam refutauit as
criter, paratis sibi insidijs, ut interficeretur,
Christi mandato, inde discedit, & a fratribus
primum Caesarem deductus Palaestinam, distan
tem 20. Mil. a Ierosolymis, mox Tarsum in pa
triam profectus est, ubi semina Euangelij spar
sa esse dubium non est. Haec acciderunt prio
ribus annis quinque postquam Religionem Chri
stianam amplexus est.

Anno Caij Caesaris tertio, cum in Cilicia
uersatus esset circiter annos tres, redijt in Sy
riam, regnante Claudio, cum Herodes Agrip
pa phthiriasi mortuus esset, & cum Barnaba
annum totum agens in congregatione Christi
anorum Antiochiae urbis populosissimae distan
tis a Ierosolymis sedecim dierum itinere, Eu
angelium docuit, accedente uisibile effusione
Spiritus

APOSTOLO.

Spiritus sancti. Inde Hierosolyma profecti sunt cum pecunia collecta, quæ ad necessarios usus incolis Iudææ tribueretur, propter prædictionem famis, per totum orbem terrarum peruasura.

Hac re administrata, reversi sunt Antiochiam: Antiochia, Sancto spiritu iubente, Seleuciam, & postea in Cypum uenere, Salaminem & Paphum, ubi Sergius Paulus Proconsul Romanus conuertitur. Ex Cypro in Pamphiliam, ex Pamphilia Antiochiam Pisidiæ. Et inde Iudæorum seditionibus & aduersaria factione, eieci finibus illis, Iconium perrexere.

Circa hoc tempus, Herodes Antipas, anno septimo Pauli conuersi, Christi nati 40. Caij II. à Caio in Lugdunum Galliæ oppidum cum Herodiade adultera, relegatus est, & interfecti Baptistæ incoestusq; dedit poenas.

In Iconio, cum satis diu processisset, doctrinæ coelestis studium, tandem contrariæ similiter factioni Iudæorum, cæterisq; cum ijs consentientibus, cesserunt, inq; Lycaoniæ urbes abierunt, Lystra & Derben, & his uicinas regiones. Hinc retrò qua aduenerant uia, Antiochiam Syriæ redierunt, ibiq; non modico tempore commorati, exortum est certamen de
iustis

DE S. PAVLO

iusticia Legis, & fidei, urgentibus Nazaraeis ipsam circumcisionem, quasi necessaria esset ad salutem uitae aeternae. Missus est igitur Saulus cum Barnaba ad Synodum Apostolorum Ierosolymam, itinere faciente per Phenicen & Samariam, quae incidit in annum Christi XLVII. Claudij quintum, à conuersione Pauli, decimum quartum.

Post Synodum, habito colloquio cum praecipuis de doctrina Iustificationis & tota lege Mosaica, accepta sententia definitiua, ordine cognita controuersia, instructus epistolis Apostolicis Antiochiam redijt Paulus, unà cum adiunctis, ubi dissidio inter Paulum & Barnabam facto, humani aliquid passi sunt tanti uiri, & cum nimis grauis esset dissensio, cesserunt sibi mutuò, & ne certamina maiora exorirentur, separari maluerunt. Barnaba igitur in Cyprum reuertente, Paulus Syria & Cilicia peragrata, hoc itinere Derben & Lystram redijt, ibiq; Timotheum sibi adiunxit, et longius procedendo in Galatiam, Phrygiam & Mysiam, inde traiciens in Samothraciam & Neapolin, ad urbem Philippos, Coloniam Macedoniae, peruenit anno XVIII. à conuersione.

Philippis uaticinantis mulierculae, quam uis testimonij praecleari uocem coercuit, de quo
quaest

APOSTOLO.

quæsitum est olim apud ueteres, quomodo Spiritus instinctu agitatam, illam commendasse Pauli Apostoli doctrinam existimandum sit. Græci respondent: Hac arte fidem de cæteris quoq; sibi Dæmona conciliare uoluisse, & esse eum confessione ueritatis salutari abusum, ad stabiliendam falsitatem, perdituram quàm plurimos. Si enim admisisset testimonium illius Apostolus, multi decipi potuissent, quasi ipsum ab Apostolo approbaretur.

Philippis exceptus uirgis & carceribus cum comitibus suis grauius afflictus, mirabiliter liberatus est, custode carceris Religionem Christianam amplectente, quem Stephanæ nomen habuisse, & in epistola ad Corinthos priore, eius meminisse Apostolum affirmant Græci. Relictis Philippis peragrata Amphiboli & Apollonia, uenit tandem Thessalonicam, ubi seditione concitata à Iudæis, & multitudine forensi commota, seruatus est à nobilibus, notuq; ablegatus cum suis Berrhæam concessit, & cum ibi similiter tumultuarentur Iudæi, causam dedere discessionis ad mare, remanente ibi Sila & Timotheo.

Inde igitur Athenas nauigauit anno quarto post Synodum Ierosolymis habitam, ubi operiens Silam & Timotheum, interea cum Philosophis disputauit, & in colle Martio egregie

DE S. PAVLO

am concionem habuit, qua, alijs ridentibus, multi etiam ex Philosophis cum nonnullis alijs ad ueritatis cœlestis studium conuersi sunt, quibus Dionysium quendam annumerant Areopagitam, siue Senatorem illius loci, qui à Marte nomen accepit.

De ara Athenis consecrata, inscriptione DEO IGNOTO, cuius & Hieronymus & Pausanias meminere. Græci commemorant Ἰσιγὰ φῆρ totam fuisse hanc: Dijs Asiæ & Europæ & Africæ, Deo ignoto & externo, causas asserunt duas: Vna est mandati Panos, nunciante Philippide hemerodromo siue diurno cursore. Placuisse enim tunc asseribi hoc, ut si quis fortè Deus propitius ciuitati ignoraretur, ei iste honos habitus esset. Alteram causam ducunt à pestilentie seuitia, quæ narrata est libro secundo Thucydidis. Malum enim illud ab ira diuina profectum arbitrati, ita placandum censuerunt Deum, quicumq; ipsum immisisset, quasi is antea inhonoratus, hanc poenam exegisset. Itaq; & aram tunc extruxisse Athenienses & inscriptione tali IGNOTO DEO consecrassent.

Legimus similia passim in historijs exempla, quibus atrocitatem contagiosæ huius luis auertere, mitigare & sanare conati sunt homines dediti superstitionibus decepti à Dæmonibus.

Cum

APOSTOLO.

Cum enim Lacedæmonij Xerxis caducea-
torem interimissent, grauiq; peste laborarent,
ob eam cædem, uiolato iure gentium morbo il-
lo se affectos arbitrati, existimarunt malorum
finem nunquam fore, nisi prius pro illa cæde sa-
tisfactum esset Xerxi. Edicto igitur proposito,
si quis pro patria mori uellet, ut is ad Epho-
ros se conferret. Hic statim Spartius Bulidesq;
se obtulerunt Lacedæmonijs, & cum se mori-
tuos affirmassent in Persiam ad Regem profes-
ti sunt. Cognita aduentus eorum causa mi-
ratus est Xerxes magnanimitatem & amorem
patriæ, ac non solum uita & iniuria satisfacti-
one donatos, sed etiam ingentibus promissis do-
mum remisit.

Cum Insula Pyreus maxima laboraret
peste, propter interfectum ibidem ab Athenien-
sibus aprum Dianæ sacrum, consultum oracu-
lum respondit finem mali futurum, si quis filia-
m immolasset numini. Inuentus est Embarus,
qui filiam solenni ritu ornatam sacrificauit.
Plura exempla commemorare nolumus hoc lo-
co. Sed oro Filium DEI ut is qui factus est ui-
ctima pro nobis intercedat apud Deum notum
& patefactum in Ecclesia, & clementer luem
seuientem in Germania mitiget.

Athenis cum non admodum diu commo-
ratus

DE S. PAVLO

ratus esset Apostolus, inde profectus est Corinthum, ubi annum unum & menses sex commoratus est, ut Lucas narrat. Corintho in Asiam reuersus, curam & gubernationem Ecclesie Ephesi commisit Timotheo, ubi biennio & tribus mensibus substitit. Hinc Hierosolymam contendit ad diem festum Pentecostes, unde statim eum discessisse uerisimile est & Antiochiam reuersus, ubi aliquantisper commoratus, rursus Galatarum Ecclesias & Phrygum inspexit. Eo itinere & Laodiceam uenit, tum reuersus est in Ephesum, ibiq; tribus mensibus, in Iudeorum congregationibus, magna libertate, de regno DEI disseruit, & mox improbitate quorundam repulsus, separatim suos docuit, idq; ad annos duos, multosq; Magos & supersticiosi artibus deditos conuertit.

Agitante autem Apostolo consilium profectiois Hierosolymitanæ excitata est ingens turba Ephesi, à factione Demetrii. Epheso igitur relicta Macedoniam transijt denuò, & uenit in Græciam, ubi trium mensium tempus absumpsit. Inde rursus Troada & hinc Assum uenit, & Asso soluens Antylenen, Mitylena Chium præteriens traiecit in Samum, & in Trogylio Mycalæ, ut opinantur, insule moratus, ita cum suis Miletum aduectus est.

Hodie

APOSTOLO.

Hodie Maltam uocant celebrem propter claudem maximam & inauditam nostra memoria, quam accepit anno præcedente Turcicus Imperator amissis 70000. hominum.

Incidit hinc mihi historia, quæ in uita Antonini Philosophi recitatur: Habuit hic Imperator in exercitu Contra Marcomannos siue Morauos & Quados Silesiæ incolas bellum gerens, Christianam legionem, quæ nomen acceperat à Melite, ubi Paulum semina Euangelij sparsisse audiuius. Hæc legio non tantum ferro, sed & precibus pugnavit, & cum publicam precessionem indixisset, qua peteretur pluuia & bonus exitus belli (milites enim & equi in maxima siccitate siti moriebantur) mox ingens tempestas orta est, in qua simul Deus & largam pluuiam Romano exercitui dedit, & crebra fulmina contra Quados iaculatus est. Hæc uictoria precibus Christianorum parta, Imperator huic legioni nomen dedit κεραινοβολα, id est fulminatrix. Hoc exemplum memoria dignum est.

Miletum uerò aduectus, ex Epheso ad se accersitis senioribus, in Ecclesia præclaram illam orationem habuit, qua & doctrinæ suæ eos commonescit, & suum exemplum proponens

D ipsis

DE S. PAVLO

ipsis adimitandum, Ecclesiarum administrationem atq; curam, uehemente contestatione, commendauit, & impendentia pericula, futuramq; difficultates prædixit. Dicta hac ualedictione Mileto in insulam Con nauigauit, & hinc Rhodum, Rhodo Patara, & inde præter uectus Cyprum, tandem uenit Tyrum, ubi septem diebus mansit, Tyro Ptolemaida, hinc Cæsaream, ubi hospitio unius ex septem uiris Philippi, quem Euangelistam uocat Lucas, acceptus, Agabo prædicente captiuitatem, certius quam Tyri de ijs cognouit, quæ Ierosolymis aduersa ipsum manerent.

Cæsarea discedens Hierosolymam ad ferias accessit, & ibi seditione ab Asiaticis Iudæis concitata, in periculum mortis uenit, & ereptus à Tribuno cohortis Romanæ, primum in uincula coniectus, & cedi loris iussus, mox tamen corpore inuiolato solutus, & insidias Iudaicæ cõiurationis uitauit, & ad præsidẽ præuincie Claudium Felicem, trium reginarum (ut Suetonius inquit) maritum, Pallantis fratrem qui Cumano successerat, à Tribuno missus est, circa annum XXIII, ex quo Apostolus Iesu Christi factus fuerat.

Felici successit Porcius festus, cum biennio

APOSTOLO.

nio tunc Paulus in custodia fuisset, cumq; Praeses ad partes Iudaeorum inclinaret, Caesarem Apostolus appellauit, & ita Romam missus est, unâ cum alijs deducente eum centurione cohortis Augustae Iulio.

Romam cum uenit, Nerone iam summa rerum potente, in libera custodia fuit annis duobus, ubi ad eum colloquij causa multi accedere poterant. Plura de Paulo Apostolo non scripsit Lucas. Cum uerò post biennium illud omni periculo liberatus & causa dicta absolutus, tandem ultimo anno regni Neroniani, reuersus Romam, supplicio affectus sit, interiectis eum decem medijs annis, iterum Syriae, Asiae, Graeciae & Macedoniae loca peragrassae Gallias & Hispanias transiisse, traditur.

Hoc est curriculum S. Pauli, in quo fungens munere Apostolico annis 36. aut 37. bonam partem Asiae minoris peruagatus est, & bis in Europam uenit, ac praecipuas regiones Orientis & Occidentis conuertit, is quidem, quem in Spiritu prauidit regius Psaltes cum canit Psal. 68. In Ecclesijs benedicite DEO, DOMINO de fontibus Israël. Ibi Beniamin paruulus dominatur eis. Et Patriarcha Iacob

D a

MENTHA

DE S. PAVLO

uenturum prædixit. Gene. 49. Benjamin lupus rapax, ad matutinum comedet adhuc, & ad uesperam dabit escam.

Pro hac collectione Ecclesie, per hunc Leonem rapacem & propagationem ueræ doctrinæ, misso & excitato hoc salutari organo misericordiæ, toto pectore gratias nos DEO agere decet, in qua uerè id accidit Apostolo, & impletum est de quo uaticinatus est Psalm. 126: Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent. Euntes eunt, & flentes portant preciosum semen. Venientes autem uenient, cum exultatione, portantes manipulos suos.

Doctrina
S. Pauli.

Quæ ipsius Pauli fuerit doctrina, quid de singulis fidei articulis, optima Methodo & elegantissima oratione docuerit, ex scriptis ipsius manifestum, quæ assidue legenda sunt. Et si uerò totius Religionis Christianæ capita illustrauit: tamen præcipue de tribus dimicat questionibus. Prima est de iustificatione, planissime ostendens discrimen legis & Euangelij: contra Phariseos, pugnat de exclusiua gratiæ, ut discernat promissionem gratiæ à legis promissionibus, docet quæ beneficia per Euangelium propria donata sint, quomodo homo sit iustus coram DEO, non propter externam disciplinam

CAPOSTOLO.

nam, sed fide gratis per sanguinem propiciato-
ris, quomodo tollatur peccatum & reddatur
iusticia sempiterna.

Altera disputatio est de Ecclesia, quod
non sit populus ille, seruans legem, ex sangui-
ne Abrahamæ, contemnens semen promissum, cœ-
tus placens DEO, sed ex gentibus sibi colligat
Ecclesiam DEVS sine Cæremonijs Mosaicis.

Tertia est de regno Christi, quod non sit
politicum siue mundanum quale fuit Davidis,
Iulij aut Tiberij, sed spirituale, cuius membra
sint & donentur uita æterna, qui Messiam ag-
noscunt. Has quæstiones præcipuè tractat, etsi
de singulis articulis illustra testimonia habet,
quibus etiam in disputando usus est Irenæus, ad
Paulum recurrens, & harum maximarum re-
rum doctrina, omnibus temporibus necessaria,
quam Paulus illustrat, lumen est Prophetica-
rum concionum & totius scripturæ, quem con-
sensum agnoscere & intelligere pulcherrimum
est.

Libet hic adijcere fabellam, de Thoma
Aquinate Monacho, qui mortuus est anno d
natali Christi 1274. die VII. Martij. Nar- De Tho-
rant autem Thomistæ, ea ipsa hora, qua mor- ma Aquia-
tuus est, uisum esse Thomam in cathedra usitata nate.

D 3

legens

DES. PAVLO

legentem, & Paulum ingressum esse auditorium. Hunc cum interrogaret Thomas, rectenē interpretatus esset ipsius scripta, respondet Paulus, rectius cæteris omnibus, & tantum vidisse eum, quantum in hac vita intelligi posset: Sed nunc eum secum iturum esse in coelestem Scholam, ubi maior lux fulget. Atque ita cum Thomas cum Paulo egrederetur, & Monachi utrumq; retinere conarentur, ambos euanuisse scribunt. Postea compertum est, Thomam eadem hora esse mortuum. Hoc somnium confectum esse non dubito, singulari studio, ut Thomæ authoritas commendaretur posteris, qui cum in multis materijs, dissentiat à vera sententia Pauli, lætemur repurgata doctrina ante annos 48. simul Pauli scriptorum uerum intellectum Ecclesijs nostris restitutum esse, & gratias agamus DEO, quod ex ipsius fontibus puritas doctrinæ nobis monstrata est.

De Epistolis S. Pauli.

Nec tantum uiua uoce in Ecclesijs docuit, sed & absens multas scripsit Epistolas, quæ adhuc hodie leguntur & pios erudiunt, quarum hodie extant numero quatuordecim Ebræorū, Epistola si annumeretur, utramq; ad Thessalonicenses scripsit Athenis 17. anno Conuersionis. Priorem ad Timotheum scripsisse uideatur 19. anno conuersionis. Tertio priorem ad

APOSTOLO.

ad Corinthios in Epheso. 20. & 21. anno. Eodem tempore Epistolam ad Titum quidem ex Epheso scriptam esse narrant. Posteriores ad Corinth. Philippis in Macedonia dedit. Circa annum 22. Epistolam ad Romanos ex Corintho scripsit, quo tempore in Syriam proficisci staturat. Roma in suo cōducto commoratus scripsit ad Galatas, & Ephesios, Philippenses, Colossenses, & Laodicenses, quæ hodie desiderantur, ac Philemonem ciuem Colossensem. Epistola posterior ad Timotheum, omnium postrema est. Sed unde & quando scripta sit, sententiæ uariant. Epistola ad Ebræos fortassis Romæ scripta est. Sed de autore dubitari non est ignotum.

Dona Apostoli fuerunt pulcherrima, quibus ipsum uocatum ad munus Apostolicum, per Spiritum sanctum ornauit DEVS, ita ut nulla in re eximijs & summis Apostolis inferior esset. Dona linguarum, sapientiæ & scientiæ in dicendo & disputando habuit infinita, nec non uisiones Propheticas. Raptus enim in tertium coelum, siue paradisum, confirmatus est de doctrina, & per reuelationem Euangelium à Christo accepit, & ueram Sacramenti Coenæ administrationem. Habuit & reuelationes de

Dona Apostoli.

D 4 pro

DE S. PAVLO

propagatione Euangelij, & incolumitatem in naufragio Angelus denunciat.

Ipse etiam dono Prophetico insignis fuit. Nam Ephesijs prædixit lupos in gregem Christi facturos impressionem. Viuis coloribus depingit Antichristum, & de mortuorum resurrectione, extremo iudicio, uita æterna, quàm multa uaticinatur? Lactantius asserit, quòd cum Petro excidiũ urbis prædixerit Romanis.

Miracula.

Quid dicam de ipsius miraculis? Sæpè quidem ministerium eius doctrinam, uocationem & confessionem confirmauit DEVS resurrectione mortuorum, alijsq; operibus extra ordinarijs. Annon Elymam Magum excecavit ueritati resistentem, claudum ab utero matris sanauit, Spiritum Pythonis è puella eiecit, Eutychem iuuenem resuscitauit, ægros sanauit & alia edidit signa plurima? Tunè igitur auctoritatem huius tanti Doctoris, uelut erroris & Stellionis, in dubiũ uocabis & doctrinam eius cõtemnes? Annon seruatur miraculosè in naufragio? Annon bestijs obiectus, & pugnans in circo cum beluis, manet saluus & diuinitus ipsi pepercerunt?

Exercitia & studia pietatis. Quid dicam de exercitijs & studijs pietatis, quibus ministerium ornare uoluit. Quanta fuit sinceritas uitæ? Quàm multis uirtutibus,

APOSTOLO.

bus, humilitate, liberalitate, mansuetudine ostendit, se electum esse domicilium Spiritus sancti? Quam est frugalis, & patiens laborum, manibus etiam victum quaerens, cum omnibus in locis docenti subsidia non subministrarentur. Fugit auaritiam summo studio, beneficus & liberalis in pauperes, sine fastu uiuens, minimum se Apostolorum nominans, uerè est Typus fidelium in sermone, in conuersatione, in dilectione, in Spiritu, in fide, in puritate.

Omitto etiam narrationem illorum operum, quibus acuit disciplinam externam, & diligens fuit in regenda locomotiua, reprimens simul internas prauas cupiditates, & illecebrarum flammam, sicut ipse dicit ὑποταξάτωσαν sive duriter exerceo & in seruitutem redigo corpus meum, ac notæ sunt querelæ, quibus tentationibus & ignitis Satanae colaphis sibi inflatis, ad domandam carnem, probè ipsum excarnificari uoluerit DEVS, ne donis abuteretur, 2. Corinth. 12. ubi didicit illud, quòd non sit nobis lucta aduersus sanguinem & carnem, sed aduersus Principatus, mundi Dominos, rectores tenebrarum, & spirituales astutias: sicut ipse in hanc sententiam sæpè repetit admonitiones.

D 5 Hanc

DE S. PAULO

Hanc formam fidelium assidue intueamur
singuli nostro loco, amemus nos quoque exercitia
pietatis, & statuamus placere DEO hæc
studia & præmijs ornari, crescentibus habitibus
agitatione, sicut optime dicit Filius DEI:
Habenti dabitur. Et Augustinus monet, Dilectio
meretur augeri dilectione, memores simus
illius, quod canit Poëta:

Vidi ego quassatas, mota face crescere flammæ,
Et vidi nullo concutiente mori.

Item:

Ipsa alimenta sibi maxima præbet amor.

Exitus S.
Pauli.

Postremum est de exitu Pauli. Tandem
enim capite mulctatus fortassis anno ætatis suæ
sexagesimo à cloaca Diabolorum deuoratur à
Nerone, cui nullus unquam similis extitit in
rerum natura inter omnes Tyrannos. Ipse
enim nefariæ impietati crudelitatiq; suæ, etiam
seuitiam in Christianos addidit, & in Christianos
nos crimen incendij urbis, ipso tamen Nerone
autore, illatum esse Tacitus scripsit historicus.
Ac consentit in hoc antiquitas, quod Apostoli
Petrus & Paulus uno eodemq; die, diuersis
supplicijs & locis occisi sint Romæ, & monu-
mentum sancti Petri positum in Vaticano, Pauli
Apostoli uia Ostiensi. Annus hic Martyrij
incidit in 70. post Christum natum, qui fuit
postrea

APOSTOLO.

Postremus Neronis, & diem 29. Iunij. Sunt igitur à morte Pauli nunc elapsi anni 1495.

De causa mortis discrepant autores. Chry- De causa
sostomus tradidit, ob pellicem quandam ipsius mortis
ad Christianam Pauli doctrinam conuersam,
Neronem Apostolo factum infestiorum, Alij
Proculum quempiam à poculis Neroni, quem
à morte, præcipitio extinctum, in uitam Paulus
reuocarat, iracundie Neronis, aduersus Chris-
tianos & Apostolum Paulum in primis caput
illorum causam dedisse narrant.

Etsi uerò hæ narrationes sint uerissimæ
les, & multos Romæ conuersos esse dubium non
sit, etiam in aula Neronis, qui cognita doctrina
Pauli, ex turpissima illa officina uitiorum
discesserunt: tamen & hæ coniectura locum
habet, Iudæorum odium necem attulisse Apo-
stolo, cuius ubique locorum & gentium uitæ
insidiabantur. Nam Nero Iudaicæ superstiti-
oni iniquus non fuit, ac fauit potius, indu-
cente eum ad hoc Poppæa Sabina coniuge,
quam dilexit unicè, quamuis per iracundiam
ictu calcis grauidâ occiderit, ut scripsit Suetonius.
Biennio antè Seneca est interfectus præcep-
tor Neronis, ad quem Paulum scripsisse fami-
liariter opinantur nonnulli.

Mara

DE S. PAVLO

De tem-
pore Mar-
tyrij.

Martyrij igitur coronam accepit S. Paulus, uerè organum electum & salutare, quadriennio ante excidium Ierosolymorum, quo Dominus noster Iesus Christus usus est, ad Ecclesie inter gentes plantationem & propagationem. Patrie enim excidium non uidit pro qua sepius anathema fieri exoptauit, ac memorabile est, quod nemo unquam uixerit, ex praestantissimis Doctoribus sub peioribus portentis aut monstris, quàm hic Paulus: Sub Tyberio annis 4. sub Caligula annis 3. sub Claudio 14. sub Nerone annis 13. Nec in uniuerso mundo unquam fuit tantum turpitudinis, quanta fuit Romae sub Nerone, tempore Pauli, ac mirum, quòd subito, sicut Sodoma, sulphure & igne deleta non sit.

De causa cur DEVS aliqua membra pro patria mori & uelut in statione occumbere uelut, alibi dicitur. Ornat DEVS aliquos praestantes Duces hoc tanto martyrij dono, tribuens simul robur, ut testimonium doctrinae animo infracto & hilari dicere possint, ut ostendant serio se profiteri ueritatem, & hanc omnibus huius uitae commodis anteferre, ac testentur, restare aliam uitam immortalem, ubi sancti DEI Martyres, donati corona non marcescente, accepturi sint praemia, & impio-
is hoc

APOSTOLO.

is hostibus Ecclesie, æternas pœnas inflicturus
sit Filius DEI.

Post paucos menses Nero sese ipse inter- Exitus
fecit sublato Paulo, cum pridie ingens terræ- NERO
motus fuisset, in quo species Neroni fugienti NIS uerè
obuersata est, quasi dehisceret terra, & erum- Tragia
perent animæ intersectorum ab ipso, impetum cus.
in eum facturæ. Ita iam tum æternorum cru-
ciatum initia etiam in hac uita sensit. Simile
quid Theodoro Veronensi, Gotthorum Regi,
Romæ accidisse legimus. Is Simmachum, &
eius generum Boëtium, Romanæ urbis Consu-
les clarissimos, ob futiles quasdam affectatæ li-
bertatis suspiciones uita priuauit. Paucis die-
bus interiectis, cum ei cœnanti inter reliqua
fercula, magni cuiusdam piscis decoctum caput
ministri apposuissent, Symmachi nuper à se in-
terfecti oblatum illi uidebatur, præfixis & ex-
tantibus in inferiore labro dentibus, & toruè
intuentibus oculis, furibundè sibi & atrocius
comminari. Hac monstri, ut illi uidebatur, no-
uitate percussus Theodoricus, membrisq; præ-
ter modum tremebundus ac rigens, in cubicu-
lum statim citato gradu secessit, lecto discubu-
it, in Symmachum, Boëtiumq; patratum à se
scelus, conscientiam subindè uellicans, lamen-
tabilis

DE S. PAVLO

labiliter defleuit, & aucto dolore statim uita
perfunctus est.

De statura Pauli narrat Nicephorus, quod corpore fuerit paruo, & paululum inflexo, facie candida, annosq; plures præ se ferente, & capite modico, & oculis, quibus multa inerat gratia, supercilijs deorsum uergentibus, naso inflexo longiore, barba densa, & promissa satis, eaq; sicut capitis coma canis respersa &c. Ex hac descriptione etsi corporis constitutionem sumere licet: tamen magis gratum pijs esse debet, nos in Ecclesia uersari, quæ Paulum uiua uoce audit ex scriptis Apostoli, fundamenta salutis nostræ pulcherrimè hic depicta, colligit, & contemplatur, ex quibus ipsius mentem & ueram sententiam, de omnibus partibus Christianæ doctrinæ, congruentem uoci Propheticæ & Apostolorum, cognoscimus.

Fabellam esse existimo, quæ apud Damasenum extat in libello de Imaginibus. Narratur enim Iohannem Chrysostomum PAVLI imaginem habuisse consecratam, in suo conclaui, quam subinde intentis oculis contemplari solitus sit, ubi scribendi laborem, in enarratione Epistolarum illius, paulisper quiescens, intermisisset. Addunt & illud, Proclum quendam

APOSTOLO.

dam uidisse uirum simili facie eius, quæ pictura illa exprimebatur, colloquentem cum Chryso-
stomo.

Hac narratione adorationem imaginum aliasq; superstitiones confirmare studuerunt Græci, & implorationem opis auxiliq;, quæ à sanctis post uitam eorum peteretur & expectaretur, stabilire conati sunt. Extant certè Chryso-
stomi explicationes copiosæ & præ-
clare, quibus non in imaginem pictam Pauli Apostoli, sed in illius uiuentis pectus atq; cor assiduè intuitus, inde sententiam ipsius deprom-
ptam, studiosè explanauit, & hac ratione san-
ctis pijsq; animis tantos Ecclesiæ Doctores cola-
locutos esse credamus.

Extant etiam singularia elogia, & præ-
dicationes eximiæ de S. Paulo, cum apud alios
passim, tum imprimis in scriptis Chryso-
stomi secundum quæ tanti organi mirabiliter uocati
à IESU CHRISTO ad munus Apostolia-
cum, & in eo fidelissimè, maxima fortitudine
& constantia uersati, memoriam perpetuò cola-
lamus, & ipsius scriptis, aduersus quosuis hos-
tiles impetus nos muniamus, reliquias scilicet
omnium pulcherrimas sanctissimi Apostoli de-
bito honore colentes. Homelia VIII. Chry-
sostomus inter multa de laudibus Pauli inquit:
Sol

DE S. PAULO

Sol quidam est luminibus Paulus, qui totam prorsus orbem, fulgentibus linguae suae radijs illuminauit, quiq; uniuersas circumeundo gentes, cursum omnino Solis imitatus est, ac mundi regiones omnes, quasi libero à corpore animo peruolauit, & hoc, cum ei amara undiq; uulnera crebrius obuiarent &c. Sic Ieronymus ad Pammachium, uocat Apostolum uas electionis, tubam Euangelij, rugitum Leonis nostri, tonitruum gentium, flumen eloquentiae Christianae. Et alibi dicit. Quotiescunq; lego Pauli scripta, uideor mihi non uerba audire, sed tonitrua.

Sed haec omnia uincit Spiritus sancti oraculum, qui per Iacob dicit ad Beniamin: Beniamin, inquit lupus rapax, ad matutinum comedet adhuc, & ad uesperam dabit escam. Praeuidit enim Patriarcha, ex tribu Beniamin oriturum Paulum, lupum rapacem, ad matutinum comedentem, id est, prima aetate uastaturum pecora Domini, ut persecutorem Ecclesiarum, dehinc ad uesperum escam daturum, id est, Deum per hunc Doctorem gentium, deuergente iam aetate, Ecclesiam collecturum esse, per Manna Euangelij.

Plura de S. Paulo hoc tempore commemorare non licet: Vnum hic addam de die conuersio

APOSTOLO.

uerſionis Pauli, quem in diuinationibus Astro-
logicis locum habere ſcitis. Est enim peculiare
quoddam uaticinandi genus, quod popolare
uel plebeium dicitur, cum etiam imperitis &
uulgo inuſu ſit, qui non inquit ſollicitè cauſis
euentum in natura, nec conſiderato ſignorum
cum rebus ſignificatis conſenſu, ex ijs ſolum,
quæ ut plurimum eodem modo euenire, ijsdem
antegreſſis ſignis animaduertunt, artem effe-
cerunt, & regulas Canonicas conſtituerunt,
quibus prædictiones experientia compertas, de
tempeſtatum cœliq; conuerſionibus, de frugum
& fructuum prouentu, de ubertate & caritate
annonæ, de aëris ſalubritate uel infectionibus,
de externorum hoſtium incurſionibus ſæpè ſa-
tis feliciter diuinant. Eius generis πρῶτον
κὸν hiſ uerſibus comprehenſum eſt.

Clara dies Pauli bona tempora denotat anni,
Si fuerint uenti, deſignant prælia genti,
Si fuerint nebulae, percunt animalia quæque.

Hæc diuinationo, ex conſentientibus inter
ſe plurimorum annorum euentibus, quos cau-
ſæ Phyſicæ pepererunt, nata eſt. Ac licet cauſæ
non omnibus ſint inconſpectu, nec ſemper cum
experientia congruant (interdum enim fallunt

E regula

DE S. PAVLO

regulæ illæ) non tamen sunt contemnendæ coniecturæ, quæ plerumq; etiam cum effectibus siderum congruunt, & à Stellarum uirtute & efficacia, miro consensu inter se oriuntur. Nec mirum est interdum mutari illas prædictiones, cum & materia elementaris agitetur incertis motibus, & aliæ causæ sæpè accedant quæ observationibus prioribus aduersantur.

Hæc in genere, ex probatissimis autoribus collecta, & in ordinem congesta, quasi supremis labris degustanda, proponere uolui scholasticis de Beniamitico munere. Vnde nunc grata mente colligant pij, quantum sit DEI beneficium quod ad Ecclesiæ gubernationem & propagationem subinde delegit suos ministros & in hanc ministerij Spiritus stationem ipse collocauit S. Paulum Principem Beniamim, per quem miserum erroneæ doctrina gentibus innotuit, instituti sunt ueri cultus, & discussis tenebris deleta sunt Idola, ac nobis quoq; monstratum est fundamentum salutis, nos propter Filium DEI in gratiam recipi, non propter nostras uirtutes, quas σκυβαλά uocat. Huius Doctoris nos assidui simus discipuli, & agamus gratias DEO, quod in nostris Ecclesijs simplex & germana sententia
Pauli

APOSTOLO.

Paulinae uocis sonat, quam ut retineamus, opus est pietate, uera inuocatione & acerrimo studio bonarum disciplinarum, sicut & Paulus ipse se Timotheo & nobis precipit, ut fideles depositi custodes simus.

Sicut autem nauiculam seruat Iason filius DEI in qua Paulus spargens aureum uelus ex Iudaea ad Meliten usque uehitur iactatam inter scopulos & seueria tempestatum concussam, ut integra in portum perueniat, cum Paulum uehat & socij maneant incolumes etiam iam tum, cum fatiscentibus tabulis mersura nauigantes uidetur: Ita seruabit hoc tempore Ecclesiam nostram DEVS in Germania, quae Paulum uehit donec amat ipsius doctrinam, ut feliciter aeternae uitae portum attingat.

Oremus igitur, ut Iason noster & Nauis clerus Ecclesiam perpetuo sibi inter nos colligat, lucem doctrinae accensam seruet ut ad posteritatem incorrupta transmittatur, ad gloriam ipsius & multorum hominum salutem, Amen.

FINIS.

ABOY OLO

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Second block of faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side.

Third block of faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side.

Faint, illegible text at the bottom of the page, possibly bleed-through.



AMICI PAVLI
TAM BONA DE DOMIN
AVM DOZIT INCIDIT AVTIN
VIO PAVLI TAM BONA DE DOMIN
AVM DOZIT INCIDIT AVTIN
AVM DOZIT INCIDIT AVTIN

anno Christi	
	In diebus illis...
	...
	...
	...
	...



CURRICVLVM SANCTI PAVLI APOSTOLI, ET SERIES AN- NORVM, QVIBVS EVANGELIVM DE DOMINO NOSTRO IESV CHRISTO PAS-

SIM IN ORBE TERRARVM DOCVIT. INCIDIT AVTEM IVSIVS CONVERGIO IN ANNUM A CON-
dito mundo 3996. à salutifero partu XXXIII. diem Ianuarij XXV. annum vltimum 202. Olympiadis, nunc labente ab ipsius con-
uersione, anno M. D. XXXII. Martyrium uerò in annum salutis LXX. III. Cal. Quintilis, elapsis nunc annis
à morte Pauli 1495. ad hunc annum Christi M. D. LXVI.

Anno Christi.	Anno conuers. Pau.	Anno Imp.	Eventus	Anno Christi.	Anno conuers.	Anno Imp.	Eventus
34.	1.	XIX.	PAVLVS inquisitor hereticæ prauitatis, conuertitur & baptisatus Damasci docet Euangelium. Inde profectus in Arabiam. Philippus docet Euangelium in Samaria, & conuertit Eunuchum.	55.	23.	XIII.	Ptolemaida, Cæsaream, & tandem Ierosolymam ad Iacobum, ubi capitur.
35.	2.	XX.					Captiuus ducitur Cæsaream ad Felicem Præsidentem, ubi die XII. postquam Ierosolymam uenerat, erudita Apologia se defendit.
36.	3.	XXI.	PAVLVS Damascum reuersus, per murum propter insidias in sporta demissus est.	57.	24.	I. NERO	Cæsareæ per biennium mansit in carcere Paulus agens causam suam coram Festo præside appellat Rom. Imp. Festus succedit Felici.
37.	4.	XXII.	Redijt Ierosolymam, & à Barnaba ad S. Petrum adductus est, apud quem mansit dies 15. Inde deductus est Cæsaream. Inde in Syriam & Ciliciæ urbem Tarsum proficiscitur. Aeneam paralyticum sanat. Tabitam resuscitat & Cornelium cum suis baptisat.	58.	25.	II.	Initio hyemis imponitur nauis, qua in Insulam Melitam uehitur.
38.	5.	XXIII.	Antiochiam ductus à Barnaba, per Euangelium collecta est Ecclesia ex Iudeis & gentibus. Pilato, cum præfuisset Iudeis annis decem, successit Marcellus, missus à Vitellio.	59.	26.	III.	PAVLVS Romam uenit, ubi integrum biennium uixit in ædibus à se conductis & liberè Euangelium docuit.
39.	6.	1. Caij Imperat.	Anno mundi 4000. ante annos 1528. Christiani primùm nominari cœperunt. Eodem tempore Agabus prædicit famem secururam sub Claudio.	60.	27.	III.	Hic Lucas abrumpit Acta Apostolorum. Ex uinculis Roma Paulus Epistolas scripsit, quarum sex extant: Ad Galatas, Timotheum, Philippenses, Coloss. Philemonem.
40.	7.	II.	Paulus & Barnabas abierunt Seleuciam, inde in Cyprum, Salaminem, Paphum, ubi Sergius Paulus conuertitur. Inde ueniunt in Pergem Pamphiliæ, & Antiochiam Pisidiæ.	61.	28.	V.	Circa finem anni Paulus coram Nerone Imp. causam dixit.
41.	8.	III.	Pulsi ex Antiochia ueniunt Iconium, ubi multo tempore commorati sunt.	62.	29.	VI.	Sequenti decennio, Paulus liberatus ex ore Leonis ad Ecclesias, in Syria, Asia & Macedonia redijt, & in Italia, Hispanijs, Gallia & multis regionibus Occidentis Euangelium sparsisse scribitur.
42.	9.	IIII.	Eiecti ex Iconio, confugiunt Lystram & Derben, Lystris sanat claudum, & ibidem lapidatus, diuinitus seruat.	63.	30.	VII.	IACOBVS Iustus, frater Domini, 50. annis Episcopus Ierosolymæ, de pinna templi in festo Paschæ deiectus, lapidatur.
43.	10.	I. Claudij Imp. An. XIII.	Herodes Agrippa, Rex Iudææ & Samariæ à Claudio creatur.	64.	31.	VIII.	MARCVS Euangelista mortuus & Martyrio coronatus Alexandria 8 Neronis anno.
43.	11.	II.	Paulus & Barnabas redeunt Antiochiam, ubi multo tempore commorantur.	65.	32.	IX.	Gesius FLORVS, præses Iudææ, sub quo bellum Iudaicum incepit.
44.	12.	III.	Peragrata Pisidia, ueniunt in Pamphiliam, ubi in Perga locuti sunt sermonem Domini: Ex Perga descendunt in urbem Attaliam, & inde soluunt Antiochiam Syriæ, ubi longo tempore commorati sunt. Herodes Pithiriasti interijt.	66.	33.	X.	Agrippa Cæsaream Philippi, ampliorem reddens, appellat Neroniam. Post Marcum primus Episcopus Alexandria Annianus. Laodicea, Hierapolis & Coloss. Asiæ urbes, terræ motu corruerunt.
46.	13.	IIII.	Fames in toto orbe prædicta ab Agabo.	67.	34.	X. Nero	NERO mouet secundam persecutionem uniuersalem contra Christianos, quæ durauit annis quatuor.
47.	14.	V.	Synodus Apostolorum Ierosolymis, Paulus accersit literis reuertitur Antiochiam.	68.	35.	XI.	Cometes & alia prodigia Romæ conspiciuntur. Lucanus Poëta apertis uenis moritur.
48.	15.	VI.	Fadus Iudeorum præses. Maria mater Domini sublata in caelum, ut aliqui somniant.	69.	36.	XII.	Belli Iudaici initium. Et Vespasianus à Nerone rebus Iudaicis præfectus, multa præclara fecit. SENECA biennio ante Paulum interfectus à Nerone.
49.	16.	VII.	Tiberius Alexander succedit Fado.	70.	37.	XIII.	Ecclesia Christi diuinitus monita, Ierosolymis congregata, in oppidum Pellam trans Iordanem situm, translata est.
50.	17.	VIII.	Paulus cum Syluano, perambulatur Syriam & Ciliciam, confirmans Ecclesias, & Lystris adiunxit sibi Timotheum.	71.	38.	XIIII.	PAVLVS cum secundo Romam redijset, extremis temporibus Neronis, capite mulctatus est III. Cal. Quintilis. Eodem anno & die S. Petrum quoq; cruci affixum esse scribitur.
51.	18.	IX.	Paulus in Phrygia, Galatia & Mysia Euangelium docet. Inde traiecit in Macedoniam, & docet Philippis.	73.	40.	II. Vespasia	Vrbs Ierosolyma capta & funditus delecta est, triennio post mortem Pauli, decennio post mortem Iacobi Iusti, 40. anno post Christi ascensionem.
52.	19.	X.	Paulus docet Athenis. Inde scripsit duas Epistolas ad Thessalonicenses. Digressus Athenis, docuit Corinthi unum annum & sex Menses.	74.	41.	III.	Obsessa est urbs 14. Aprilis. Templum incensum 8 Augusti. Tota urbs direpta & incensa 8 die Septembris.
53.	20.	XI.	Corintho nauigat Ephesum. Inde Cæsaream ueniens in Palestina, ascendit Ierosolymam, & salutata Ecclesia descendit Antiochiam.	75.	42.	IIII.	Eodem tempore Capitolium conflagrauit. Cum uerò non constet, quamdiu commoratus sit Apostolus in singulis locis, quæ adijt, & tamen consentaneum sit, sepe retentum esse negotijs, utimur hic coniecturis, & studiosis iudicium relinquimus.
54.	21.	XII.	Transiens Galatiam ac Phrygiam, redit Ephesum, & ibi biennio subsistit.				
55.	22.	XIII.	Ex Epheso scribit priorem ad Corinthios.				
56.	23.	XIIII.	Post sedatum Ephesi tumultum, uenit in Troadem, inde in Macedoniam, ubi ex Philippis II. ad Corinthios scribit. Ex Macedonia uenit in Græciam, uidelicet Achaïam & Corinthum, ut promiserat.				
			Eodem tempore scripsit Epistolam ad Romanos. Et cum insidie ipsi in mari struerentur, redit per Macedoniam pedestri itinere. Vnde soluens traiecit in Troadem ad Aristarchum & Timotheum, Troade nauigat Asium, Mitylenen, Samum & inde Miletum, ubi Ephesijs Presbyteris ualedicit.				
			Inde soluens uenit Rhodum, Pataram, Tyrum.				

F I N I S.

ANNO MESSIE M. D. LXVI.

CHRISTIAN LEHNER
NO. 1. 1713
SIN IN ORBE TERRARUM
S. 1. 1713

Annus	Indicatio	Die
1713	1713	1713
1714	1714	1714
1715	1715	1715
1716	1716	1716
1717	1717	1717
1718	1718	1718
1719	1719	1719
1720	1720	1720
1721	1721	1721
1722	1722	1722
1723	1723	1723
1724	1724	1724
1725	1725	1725
1726	1726	1726
1727	1727	1727
1728	1728	1728
1729	1729	1729
1730	1730	1730
1731	1731	1731
1732	1732	1732
1733	1733	1733
1734	1734	1734
1735	1735	1735
1736	1736	1736
1737	1737	1737
1738	1738	1738
1739	1739	1739
1740	1740	1740
1741	1741	1741
1742	1742	1742
1743	1743	1743
1744	1744	1744
1745	1745	1745
1746	1746	1746
1747	1747	1747
1748	1748	1748
1749	1749	1749
1750	1750	1750
1751	1751	1751
1752	1752	1752
1753	1753	1753
1754	1754	1754
1755	1755	1755
1756	1756	1756
1757	1757	1757
1758	1758	1758
1759	1759	1759
1760	1760	1760
1761	1761	1761
1762	1762	1762
1763	1763	1763
1764	1764	1764
1765	1765	1765
1766	1766	1766
1767	1767	1767
1768	1768	1768
1769	1769	1769
1770	1770	1770
1771	1771	1771
1772	1772	1772
1773	1773	1773
1774	1774	1774
1775	1775	1775
1776	1776	1776
1777	1777	1777
1778	1778	1778
1779	1779	1779
1780	1780	1780
1781	1781	1781
1782	1782	1782
1783	1783	1783
1784	1784	1784
1785	1785	1785
1786	1786	1786
1787	1787	1787
1788	1788	1788
1789	1789	1789
1790	1790	1790
1791	1791	1791
1792	1792	1792
1793	1793	1793
1794	1794	1794
1795	1795	1795
1796	1796	1796
1797	1797	1797
1798	1798	1798
1799	1799	1799
1800	1800	1800




67 $\frac{10}{97}$




AB 67 $\frac{10}{c, 7}$

(x1992129)







DE S. PAVLO
APOSTOLO ET
DOCTORE GENTIVM,

NARRATIO HISTORICA, QUI
ad Christi fidem conuersus est ante annos
M. D. XXXII. Anno mundi 3996. à sa-
lutifero partu XXXIIII. die 25. Ianuarij,
anno ultimo 202 Olympiadis, Martyrij uerò
coronam ante annos 1495. anno 70.
post Christum natum die Iunij
XXIX. accepit,
collecta

Per

IOHANNEM GARCÆ
VM IUNIOREM, PASTOREM
Ecclesie DEI in noua arce
Brennonis.

ADDITA EST PRAEFATIVVS
CVLA DE POLYCARPO
sanctissimo Martyre.

ANNO MESSIAE.

M. D. LXVI.

